



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXXVII. De pura & integra resignatione sui, ad obtinendam cordis
libertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

3. Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, & cras non comparet.

Deum time, & hominum terrores non expavesces.

Quid potest aliquis in te verbis aut injuriis? Sibi potius nocet, quam tibi; nec poterit iudicium Dei effugere, quicumque est ille.

Tu habe Deum præ oculis, & non li contendere verbis querulosis.

Quod si ad præsens tu vidêris succumbere, & confusionem pati, quæ non meruisti, ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam.

Sed ad me potius respice in cælum, qui potens sum eripere ab omni confusione & injuria, & unicuique reddere secundum opera sua.

CAPUT XXXVII.

*De pura & integra resignatione
ad obtinendam cordis libertatem.*

I. **F**ili, relinque te, et invenies me.

Sta sine electione, & omni proprietate, & semper lucraberis.

Nam & adjicietur tibi amplior gratia, statim ut te resignaveris, nec resumpseris.

Domine, quoties me resignabo, & in quibus me relinquam?

Semper, & omni hora, sicut in parvo, sic & in magno. Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inveniri volo.

Alioquin, quomodo poteris esse meus, & ego tuus; nisi fueris ab omni propria voluntate intus & foris spoliatus?

Quanto celerius hac agis, tanto melius habebis: & quanto plenius & sincerius, tanto mihi plus placebis, & amplius lucraberis.

2. Quidam se resignant, sed cum aliqua exceptione, non enim plene Deo confidunt, ideo sibi providere satagunt.

Quidam etiam primo totum offerunt, sed postea tentatione pulsante
ad

ad propria redeunt, ideo minime in virtute proficiunt.

Hi ad veram puri cordis libertatem, & jucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, nisi integra resignatione, & quotidiana sui immolatione prius facta: sine qua non stat, nec stabit unio fruitiva.

3. Dixi tibi sæpissime, & nunc iterum dico: relinque te, resigna te, & frueris magna interna pace.

Da totum pro toto: nil exquire, nil repete? sta pure & inhæsitantet in me, & habebis me.

Eris liber in corde, & tenebræ non conculcabunt te.

Ad hoc conare, hoc ora, hoc considera: ut ab omni proprietate possis exspoliari, & nudus nudum Jesum sequi; tibi mori, & mihi æternaliter vivere.

Tunc deficient omnes vanæ phantasiæ, conturbationes iniquæ, & curæ superfluæ.

Tunc etiam recedet immoderatus timor

timor, & inordinatus amor morietur.

CAPUT XXXVIII.

De bono regimine in externis, & recurſu ad Deum in periculis.

1. Fili, ad iſtud diligenter tendere debes: ut in omni loco & actione, ſeu occupatione externa, ſis intus liber, & tui ipſius potens, & ſint omnia ſub te, & tu non ſub eis.

Ut ſis dominus actionum tuarum & rector, non ſervus, nec emptitiuſ:

Sed magis exemptuſ, veruſque Hæbreuſ in fortem, ac libertatem tranſiens filiorum Dei.

Qui ſtant ſuper præſentia, & ſpeculantur æterna.

Qui tranſitoria ſiniſtro intuentur oculo, & dextro cœleſtia.

Quoſ temporalia non trahunt ad inhærendum, ſed trahunt ipſi magis ea ad bene ſcrviendum: prout ordinata ſunt a Deo, & inſtituta a ſummo

O

mo